

2581

C A S U I S T I C I.

2582

deo per os Ysaie prophete annunciatum &c. Nomen Oratoris non exprimitur.

XLII. fol. 303. Incipit Cronica magistri Jordani qualiter romanum imperium translatum sit ad germanos et quare romanum imperium sit honorandum. Initium: *Multifarie multisque modis dominus uniuersorum in diebus sue carnis dignatus est honorare romanum imperium &c.* Aliud Exemplar dedimus Cod. CCCXII. Praefens eandem habet *περὶ ῥωμαίων* de Rudolpho I. quae in Schardii Editt. Basil. 1566 et Argent. 1609. f. deest. Rudolphus hic dicitur de Hauesburg. Capita illa Schardii de Baculo S. Petri Codex noster non agnoscit; habet tamen, unde manifestum Schardii hiatus expleas. Ubi enim is *Divisionem Galliae* edit. Basil. p. 301. Argent. p. 106. exponit, inter ejus verba: *crescere permittebant — ipsa siquidem &c. interfere: et in Galliam togatam et in Galliam braccatam sunt diuisi, et deinceps lege: isti siquidem (nempe Togati et Braccati) Gallici ornatui tegumentorum — intendebant. Praeterea, ubi de Gallis Comatis prius agitur, Schardiusque legit: quadam negligentia comam crescere permittebant, in Cod. nostro inuenias: quadam iuris negligentia.*

XLIII. Fol. 320. p. 2. Bulla aurea de electione Romani regis. Initium: *In nomine sancte — karolus Quartus — Omne regnum in se ipso diuisum dilabitur &c.* Procedit usque ad Caput de Rege Bohemiae definens in haec ver-

ba: *indubia (indubiam) tenore (tenere) roboris firmitatem.* Itaque Exemplum longe infra dignitatem splendidissimi illius, quod de Mandato Wenceslai Romanorum et boemiae regis Anno domini millesimo quadringentesimo caractere luculento exaratum, picturisque diluto auro fulgidis, non omisso in fronte Balneatricum choro, ornatum Bibliotheca nostra Palatina seruat.

DCLXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. 695 XVI. Folior. 233. 4. non una manu descriptus hoc Titulo. est: *Instructio Sacerdotis compendiosa. — Auctore Reuerendo ac cumprimis pio patre domino Francisco Toledo Societatis Iesu Theologo Romae in eiusdem Societatis Collegio professore publico. Anno virginei partus MDLXV. Exceptam calamo a Discipulo quodam haec ad Libri V. calcem verba innuere videntur: Haec secundo anno casuum legit Reuerendus Doctor Franciscus Toletus in Collegio Romano Romae 1567. In Tractatu VI. de Praeceptis Ecclesiae ab-rumpitur Opus egregium, quod deinceps Romae, Venetiis et alibi saepius auctum retractatumque typis prodit. De Autore tradit Alegambius, Ciaconius &c.*

DCLXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. 703 XVII. Folior. 309. 4. inscribitur: *Theologia Practica sive Moralís,*

2583

C O D I C E S

2584

ralis, in qua explicantur ea, quae Ecclesiasticos, potissimum vero curam animarum gerentes scire oportet. Extat Cod. CCCXXIV. Theoria Theologiae, quam Speculativam vocant, quam a Cpb. Labbeo Jesuita Leopoldo Archid. Episcopo Passav. traditam conjectavimus. Conjectura haec ad certitudinem convalescit ex Opere praesenti, cujus p. penult. legitur: Decimum quintum uero Tractatum de documentis contra peccata, quem bonae memoriae P. Christophorus Labbe — composuit, quia perficere non licet, piget aggredi &c. Verba sunt haec Wilb. Jonstoni Scoti Noviensis itidem Jesuitae, qui a docta Graecii Stiror. Philosophia, Theologiaque Labbei in erudiendo Principe successor factus a. 1608. non nisi usque ad finem sequentis anni superstes fuit. Sex Tractatibus definitur ejus Institutio, ad cujus calcem manu Serenissimi Discipuli haec legas notata: Laus Deo Virginique Matri Mariae; et omnibus SS. Patronis Meis. S. Leopoldo, S. Wolfgango, S. Bennoni, S. Caeciliae, S. Barbarae, S. Catharinae, et S. Mariae Magdalena. 1608. Pietas ad omnia utilis. Leopoldus Die 28. Julij. Passavij, Professore Reuerendo in Christo Patre Wilhelmo Jonstonius. A Leopoldo porro transiit Codex hic, ut in fronte scriptum reperio, ad Archiducem Sigismundum Franciscum, et ipsum tribus in Adoléscentia Infulis, Gurcensi, Augustana et Tridentina conspicuum, quibus tamen a.

1665. renuntiavit et Sponsus eodem anno obiit Oeniponte.

DCLXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. ³⁰⁷ XV. Folior. 328. f. currente calamo per duas columnas a diversis exaratus sequentia continet: I. Thomae Ebendorfer dicti de Haselbach Tractatum de Confessione. In illud: *Ecce nunc tempus acceptabile &c.* Initium: *Haymo exponens verba premissa dicit &c.* Finis: *pauper autem prudens scrutabitur eum. Expliciunt collationes magistri thome de Haselpach de confessione Anno 1449.* Collationes hae, quod sciam, lucem nunquam videre, memorantur tamen *msptae* aliquot locis in *Vita Autoris inter Scriptt. Univ. Vienn. P. I. Sec. I. p. 158.* Librarium nostrum lepidum caput fuisse oportet; nam fol. 26. p. 2. relicto aliquot linearum spatio adscripsit: *Hic nihil difficit nisi aurum et argentum. Sit laus deo.*

II. fol. 63. *Expositio simbulo apostolorum.* Initium: *Ex quo communiter solet scribi et dici coram simplicibus et communibus laicis &c.* Procedit Anonymus juxta receptam olim opinionem, singulos Articulos a singulis Apostolis congestos fuisse, et in *Art. nono* ad Doctrinam de *Sacramentis* excurrit. Verum mutilum est Exemplar nostrum, et in Sacramento *Confirmationis* deficit. Non haererem Expositionem hanc pariter *Thomae Haselbachio* adferere, nisi
Autor